Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Torpedo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM LIBER XXX.

DE IIS QUÆ PER ALIQUOT PISCIUM GENERA SIGNIFICANTUR

Ex ſacris Ægyptiorum Literis.

AD PAULUM JOVIUM NUCERINORUM EPISCOPUM.

ERam omnino commentarium hoc de piſciculorũ aliquot ſignificationibus, Paule Jovi doctiſſime, deſerturus, quod multa in ea piſcium genera continebantur, ex quibus neminem ætate noſtra frugem ullam colligere poſſe ſuſpicabar: ita quæ fuerant olim piſcium nomina, vulgo hodie deſiderantur. Metuebam vero labores in horum ſignificationibus meos minimè gratos ideo futuros: quia in nonnullis non ſatis mihi conſtabat, qua ratione vel exemplo poſſent eorum imagines deſcribi, quorum bona pars eſſet mortalibus ignota. Naturas quidem & ſignificata, prout apud veteres authores inveneram, facilè poteram explicare, ſed quorundam nomina tam Græca quam Latina, non videbar, ita poſſe reddere, ut in foro cetario quis poſſet hujus vel illius piſcis ſpeciem deprehendere. Quod ſi ea de cauſa hieroglyphica hæc conſcripta ſunt, ut eorum quis uti poſſet imaginibus, irritus hic plerumq; futurus conatus videbatur: quoniam hoc præſtare me poſſe minimè confidebã. Videbam adhæc, multos qui provinciam hanc ſuſcepiſſent, in tam multis hallucinari, fallique, eamq; controverſiam de plerisq; piſcibus tot ab hinc annis agitatam, eruditorum penè omnium defatigatis ingeniis, adhuc ſub judice pendere, neque liquere prorſus per varias non incurioſorum hominum opiniones, eorum multa quæ vel quotidie in menſam apponuntur, quo fuerint apud Latinos aut Græcos nomine nuncupata. C *Poſtea vero quam eam te ſuſcepiſſe provinciam intellexi, ut multa piſcium genera, quo nomine apud veteres vocarentur, edoceres, in eam ſum erectus ſpem, ut tu, qua inſignis es doctrina ſolicitudine atque diligentia, neque non alii in tanta ætatis noſtræ eruditione, quanta non alias unquam milleſimo ab hinc anno floruit, facile conſequamini, ut uniuscujusq; piſcis nomen ex vulgo redimere poſſimus, & obliteratam penè hujuſce rei ſcientiam per vos reſtitutam intueamur. Quare quod perdere deſtinaveram commentarium adſervavi, te uno fretus, qui bonam eorum partem tam accuratè cœperis indicare, idq; tibi dedicandum duxi: ut ſi quid in eo eſſet, quo quis uti vellet, te potius quam me piſcium magiſtrum agnoſceret, & qua quisq; pictura faciendus eſſet edoceretur, atq; ita laboris hujus particeps fieres, dum piſcem ego interiorem, tu exteriorem condire procurares. Sed jam, ſi quid ab hiſtoriarum quas tanto cum lepôre, tanta cum fide ſcribis, occupationibus otii tibi ſuperſit, naſſam hanc noſtram inſpiciamus.*

DE TORPEDINE. CAP. I.

Plin. li. 9. 51. Auctor Matthaeolus in Dioſc. lib. 2. c. 15. à Gail. li. 6. de locis affectis & Plin. l. 31. c. 1 & l. 9. c. 42 & Ariſt. lib. 9. c. 38. de Nat. anim.

MAximam omnibus admirationem in primis afferre videtur magica propemdum vis in Torpedine conſiderata, ſed nos ea ſuper quid Ægyptii ſenſerint, enarremus. D

MULTORUM ASSERTOR. CAP. II.

EUm qui multos ſervaſſet, Ægyptii Sacerdotes per Torpedinem pictam ſignificari inſtituerant: ſive quod opem ferat piſciculis natandi & emergendi adhuc imperitis, eos ad ſe recipiens, quod præcipue obſervatum eſt in fœtu proprio, quem & emittit, & intra ſe recipit, viſaque interdum Torpedo eſt grandis, quæ fœtus intra ſe octoginta haberet: ſive, ut ipſi Ægyptii tradidere, quod una cum piſcibus aliis in verriculo deprehenſa, omnes plerumq; ſoſpitet, cum ne vis quidem hominum innumera poſſit verriculum educere, manibus & pedibus penitus obtorpeſcentibus: quia venenum quod effundit, per retia dilapſum in funes omnes quantumvis longos ad manus usque piſcan-

tium